



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. De potestate istituendi in beneficiis, & destituendi, seu de ponendi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

emptionibus; & consuetudinibus; & quamvis etiam pœnas pecuniarias imponere possint Episcopi, & alii iudices Ecclesiastici, debent tamen hæc multatæ, non Camera Episc. palli, sed causis piis applicari, juxta *Trid. sess. 25. c. 13. de refor.*

## §. IV.

*De potestate instituendi in beneficiis, & destituendi seu deponendi.*

**A**D legem jurisdictionis Episcopalis etiam pertinet jus instituendi in beneficiis, uti etiam destituendi, ac deponendi (prout sumitur ex citato *c. conquerente*, & ex *c. cum in jure 12. de hereticis*) ita tamen, ut institutio late hic sumatur, & non tantum liberam collationem, sed quæcumque etiam confirmationem, & approbationem dicat, destitutio verò dicat quæcumque amotionem ab officio, beneficio, vel ordine, &c. hæc autem beneficiorum cura, ut bene sit illis provisum, adeo propria est Episcoporum, ut in *c. cum vos 4. h. t. concedatur illi œconomum in beneficio constituere*, si in præsentando ex legitima ratione moretur Patronus Laicus, aut indignum præsentet, penes quem sit fructus beneficii vacantis percipere, & in utilitatem Ecclesiæ expendere, vel futuro successori reservare: & in *c. Ordinarii 3. h. t. in 6.* præcipitur Ordinario inquirere in beneficiatos (num beneficia sua canonicè obtineant) in casu v. g. quo plura beneficia de se incompatibilia obtinent, cum cura animarum in pluribus talibus uni collatis Ecclesiis negligatur; neque tamen conceditur Episcopo facultas accipiendi redditus Ecclesiarum, vel

*Psiching. Compend.*

Dignitatum vacantium, ad suam collationem aut institutionem pertinentium, qui vel in utilitatem talium Ecclesiarum concedendi sunt, vel successorii reservandi juxta *c. final. h. t. in 6.* nisi consuetudo legitima, aut speciale privilegium aliud obtineat,

## §. V.

*De potestate inferendi censuras Ecclesiasticas, & ab eis absolvendi.*

**L**EX Jurisdictionis Episcopalis etiam continet potestatem inferendi censuras (excommunicationis scilicet, suspensionis, & interdicti) juxta citatum *c. conquerente* (cum Episcopo negari non possit potestas ordinario remedio contumaces contra jura Episcopalia, & Ecclesiam coercendi) & potestatem ab illis absolvendi, quamvis ab aliis Prælatibus, ordinariam jurisdictionem habentibus, se inferioribus, & sibi subiectis, censurâ affecti sint, si tamen tales censurâ affecti, subiecti etiam sint tali Episcopo. & observetur *c. cum ab Ecclesiarum 9. h. t.* (nisi Pontifici expressè reservatæ sint censuræ tales, & nulla circa illas concessa Episcopis potestas) imò potestatem etiam habet, lapsos in hæresin, post hujus abjuratorem, in foro externo absolvendi ab excommunicatione Pontifici reservata (præsertim in nostra Germania, ubi alii inquisitores fidei ad hoc designati non habentur) ita ut talem à censura excommunicationis absolutum, postmodum in foro interno quilibet Sacerdos approbatus ab hæresis peccato absolvere possit: quin etiam, si criminale hæresis non sit delatum ad forum externum judiciale Episcopi; aut illius

Z. Vica-